
Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
Boston Public Library

http://www.archive.org/details/philosophiettheo00segu

IACOBI SEGVERII PHILOSOPHI, ET THEOLOGI GALLI Ruthenenſis.

ORATIO

Habita Romæ in Sacello Pontificio ad Vaticanum in funere HENRICI IIII. Regis Chriſtianiſſimi quinto Kal. Iunij. 1610.



ROMÆ,
Ex Typographia Iacobi Maſcardi. *Superiorum permiſſu.*
ET PARISIIS,
Apud IOANNEM DV CARROY, via Rhemenſ.

M. DC. X.

Cum Priuilegio Regis,

Acc 84-546 (17)

Impiimatur ſi videbitur R.^mo^ P. M. Sacri Palatij Apoſtolici.

Cæſar Fidelis Viceſg.

Imprimatur.

F. Thomas Pallauicinus Bonon : Magiſter, & Reuerendiſſimi P. F. Ludouici Yſtella Sacri Palatij Apoſtolici ſocius. Ord. Prædicatorum.

Extraict du Priuilege du Roy.

PAr grace & Priuilege du Roy, il eſt permis à Iean du Carroy Marchand Libraire & Imprimeur à Paris, d'Imprimer ou faire imprimer, vendre & diſtribuer vne Oraiſon funebre tant en Latin qu'en François, intitulée *Iacobi Seguerij Philoſophi Galli Ruthenenſis &c.* Et defenſes ſont faites à toutes perſonnes de quelques qualitez qu'ils ſoient d'imprimer ou faire imprimer vendre & diſtribuer ladite Oraiſon tant en Latin qu'en François, ſur peine de cent liures d'amende & de confiſcation des exemplaires par eux imprimez, comme eſt plus amplement porté par leſdites Lettres. Donné à Paris, le 28. Iuillet 1610. Par le Roy en ſon Conſeil, Chalopin, & ſcellé de Cire iaulne.

Illvstrissimo Viro FRANCISCO DE SAVARY domino de Breves,

Regis Christianiſſimi ad Sedem Apostolicam Legato.

IACOBVS SEGVERIVS S. P.

HABVI nuper, Vir Illuſtriſſime, coram Summo Pontifice, & conſeſſu ampliſſimorum Cardinalium, aliorumque nobiliſſimorum hominum breuem Orationem, de laudibus HENRICI IV. Regis Chriſtianiſſimi, quem per hoſce dies magno bonorum omnium mœrore violenta mors inuidit publicæ vtilitati. In quo genere ita verſatus ſum, vt pauca admodum ex tanta copia delibauerim, plura enim dicere, neque temporis quod mihi conceſſum erat, breuitas patiebatur, neque dignitas loci: & certè ſingula percenſere, quæ de tanto Principe dici poſſent, opus eſſet multorum dierum. Mihi autem hæc quantumuis pauca pro tempore ſufficere viſa ſunt: nihil enim ego aliud in toto hoc negotio mihi propoſui, quàm imperata facere, & ſuperioribus obtemperare. Non deerunt qui iſta grauiore, atque ornatiore dicendi genere perſequantur, ſed qui maiori, quàm ego pietate ſit in Patriam, atque Regem repertum iri puto neminem. Vale Romæ ex ędibus S. Ludouici ad diem VII. Menſis Iunij M.DC.X.

IANI MALINFANTII THOLOSATIS AD IACOBVM SEGVERIVM

SI quid apud Superos animæ lætantur, vt æquum eſt
Credere, laudari cum ſua facta vident.
Cumque ſui memores cernunt, quos viribus olim
Iuuere ingenio, conſilioque viros.
Indiges, exulta Rex inuictiſsime, noſtris
Et tua cum lacrimis gaudia iunge, precor
Romano eloquio tua facta SEGVERIVS auſus
Dicere, quos decuit, protulit ore ſonos.
Scilicet at triſtes: quis enim niſi triſtia fundat
Verba, cui magno corda dolore tument?
Attamen hoc vnum cœlo mirere neceſſe eſt,
Deſque animi grati conſcia ſigna tui.
Qui potuit tantam verborum fundere molem
Pontificem ante ipſum, purpureoſque Patres.
Cum tua mors lacrimis obſtruxerit ora loquentum
Plenaque terrifico ſint loca cuncta metu?
Nimirum dolor, & lacrimæ fecere diſertum,
Sumpſit & à populi mutua verba metu.
Omnia ſic tua mors mutauit, vt ordine verſo
Hoſti triſtia ſint Omina læta tuis.

ORATIO.

NOn dubito, Beatiſſime Pater, te acerbiſſimum doloris ſenſum percepiſſe, poſteaquam tibi renuntiatum eſt HENRICVM IIII. Regem Chriſtianiſſimum impiorũ graſſatorum, ac ſceleſtiſſimorum hominum gladiis per ſummum nefas occubuiſſe. Neque verò, tu id obſcuris argumentis ſignificaſti, cum totam eam noctem, præ doloris magnitudine penè inſomnem duxeris, & vt communem totius Eccleſiæ Catholicæ parentem decet, tanti Principis animũ Deo Opt. Max. Sanctiſſimis, & ardentiſſimis precibus commendaris. Quare nemini dubium eſſe poteſt, te commemoratione maximarum virtutum Regis Chriſtianiſſimi magnopere lætari, cuperéque, vt illius memoria immortalis, æternaq. ſit, qui nihil vehementius, aut ardentius, quamdiu ſuperſtes fuit, deſiderauit. quàm vt ſacroſancta Apoſtolicæ, & Romanæ Eccleſiæ apud omnes nationes, auctoritas permaneret. Dicam ergo fretus illa tua ſolita benignitate, quam quotidiè omnes magni, minimique experiuntur pauca quam breuiſſimè potero de innumeris, ac propemodum infinitis laudibus

HENRICI IIII.efficiámque præceptionibus Rhetorum omnium valere iuſſis, ne breue admodum tempus quod ad me comparandum datum eſt,in re parum neceſſaria, aut ſuperuacanea à me conſumptum eſſe videatur. Atque ea præcipua cauſa eſt,cur de Regum noſtrorū nobilitate, ſplendore,claritate,antiquitate, Orationem mihi inſtituendam nullo modo eſſe exiſtimem,eum enim à cōmuni ſenſu alienum atque abhorrentē eſſe oporteret, qui tot Summorum Pontificum ſanctitate & doctrina præſtantium grauiſſima teſtimonia monumentis annalium omnium, & hiſtoriarum conſignata, & perpetuata de Regum noſtrorum dignitate, ac nobilitate vocare auderet in diſquiſitionem. Certè ex ipſis potentiſſimi Regni legibus, & inſtitutis,atque ingētibus muneribus Diuina liberalitate illi cōceſsis,firmiſsimū ac certiſſimū argumentū deducere poſſe mihi videor,vt demonſtrē euidēter Regum noſtrorum nobilitatem longa,conſertaque, & nunquam interrupta maiorum ſerie ad nos vſque propagatam, ac diſſeminatam. Sed nolo otio intemperanter abuti,præſertim in ijs rebus perueſtigandis,quę illuſtri, atque edito loco poſitæ porrigunt ſeſe, atque eminent, neque patiuntur quamquam, niſi fortè maleuolum, aut ignarum in ſui ignoratione verſari. Maiora me, atque auguſtiora quæ in HENRICO Rege ab ineunte ætate

emicuerunt, cum vera, ſolidaq. gloria coniuncta, nulliſq. fortunæ caſibus obnoxia ad ſe reſpicere iubent, quibus ille memorabili in poſteros exemplo docuit, nullo modo in fallacibus ac caducis bonis acquieſcendũ. Nam, & à cultu Diuini numinis, in quo pietas familiam ducit, principium ſumam, incredibile eſt quàm magno, excelſóq. animo in eam incubuerit Rex incomparabilis, perfeceritque adhortatione exemploque ſuo, vt omnes ordines, omnes ætates, in eam vnam intuerentur: id ſolum, & maximum bonum ſibi ducendum putarent, hoc verum eſſe Chriſtianorum patrimonium: cetera omnia externa, vera bona non eſſe, & plerũque ijs, qui eiuſcemodi nimiopere gloriantur ingentia detrimenta importare. Excellentem hanc eximiamq. pietatem teſtantur multa aureorum millia ſacris maiorum monumentis, templiſq. toto Regno nobiliſsimis inſtaurandis, & in priſtinum ſplendorem reſtituendis, attributa, quæ ſuperiorum temporum iniuria, bellorumq. ciuilium furor diſiecerat, inflammauerat, ſolo æquauerat. Quid iam Xenodochia, aut Religioſorum hominum, vel ſacrarum Virginum Cœnobia ab illo vel inſtituta, vel magnis redditibus aucta commemorẽ? Quid referam adorandum Miſſæ ſacrificium trecentis Vrbibus, & eò ampliùs, à quibus vera Religio totos quadraginta annos exulabat, ſine

ferro,ſine ſanguine reſtitutum? Quid ardentiſsimum ſtudium in reducendis,& ditandis doctiſsimis,& ſapientiſsimis viris Societatis Ieſu, qui in illa atroci bellorum ciuilium tempeſtate, rectum curſum tenere non potuerant. Sed propter neſcio quam rerum nouarum ſuſpicionẽ non ſatis firmam ſolum vertere iuſsi erant? eoq.modo ſapientiſsimè prouiſum eſt, ne deeſſent præſtantes viri, qui iuuentutis animos, quod in Republica maximi momenti ſemper eſt habitum, omni liberali doctrina excolerent, & probis atque incorruptis moribus, ad omnem virtutem & humanitatem informarent. Quin etiam ſcriptis perſæpè litteris ad Turcarum Imperatorem, ab eo tandem obtinuit, vt ijſdem Patribus Societatis, Conſtantinopoli, in Vrbe totius Orientis Principe, nobile Collegium extrueretur, eaq. ratione Chriſtiana religio, quæ in illis partibus ferè proſtrata, atque afflicta iacet, erigeretur pietatéque & eruditione qua plurimum poſſunt apud omnes viri illi Sapientes confirmaretur, & ſtabiliretur. Quibus exemplis hoc perfecit, vt pluſquam ſexaginta hominum milia inter quos permulti erant primæ nobilitatis, qui ſeſe in varios, & inextricabiles peſtiferarum opinionum laqueos induerant reſipuerint, & diſcuſſa errorum caligine, veræ tandem religionis lucem aſpectarint. Cum autem Turcarum Imperator auguſtiſſimum

mum Chriſti Seruatoris noſtri Sepulchrum dirui, atque aboleri iuſſiſſet, vaſa ſacra in profanos vſus conuerti, ædes ſacras, & Deo dicatas, ſpurciſſimis Mahometanorum ritibus contaminavri, iros religioſos in compedes duci, atque in ſeruitutem redigi imperaſſet, admonitus Rex tam atrocis, & nefarij incœpti per ſuos Legatos effecit, vt quamprimum tam immane decretũ reſcinderetur, honoſq. tam ſancto loco debitus in mentibus hominum magis quàm vnquàm antea gliſceret, & augeretur. Eius rei locupletem teſtem habeo Franciſcum de Breues ad hanc Sedem Apoſtolicam pro Rege Chriſtianiſſimo Legatum, qui tum quoque in Oriente legationem pro eodem Rege fungebatur. Teſtes habeo Antiſtites, & Proceres Generales Ordinis Sancti Franciſci, & ſancti Sepulchri cuſtodes, qui tam egregium facinus in obſcuro iacere minime voluerunt. Sed plurimis, & grauibus monumentis immortalitati cõmendarunt, eundemq. de Breues religionis Chriſtianæ in Oriente conſeruatorem, bonorum omnium perfugium, religioſorum omnium tutelam eſſe declararunt. Teſtem denique habeo omni exceptione maiorem Clementem VIII. Pontificem Maximum, & prudentiſſimum multis litteris ſcriptis res pro Chriſtiana religione ab eodem Franciſco præclarè geſtas collaudantem. Clementia vero ipſius, & humanitas tanta fuit,

vt non modo ſemper admirationi noſtris, externisq. hominibus ſemper fuerit, ſed multis etiam qui ſeſe inexpiabilibus ſceleribus obſtrinxerant ſalutaris. Quoſdam enim qui non tam ignoratione quam malorum contubernio, aut rerum potiundarum cupiditate adducti contra ipſum gladios diſtrinxerant, inſidijsq. appetiuerant benigne, comiterq. exceptos bono animo impoſterum eſſe iuſſit cum diceret, graſſari vſque ad ſanguinem non Principum Chriſtianorum eſſe, ſed potius immanium Barbarorum, & & alioqui illa humana conſilia Diuina voluntate eſſe ſuperata. Quid ego iam primum, vltimumq. de corporis animiq. incredibili fortitudine, & ad ſummum perducta rei militaris ſciētia HENRICI Regis commemorem? an metuo ne quis me in hoc genere verſantem, ea dicturum contendat, quæ ad turpem quandam aſſentationem propius quàm ad ipſam veritatē accedere videantur? imo vero id mihi magis metuendum eſſe pro certo intelligo, ne me ſapientes, & æqui rerum æſtimatores res maximas à maximo Rege præclariſſime geſtas, ingenij inopia, ac tenuitate obſcuraſſe potius, & imminuiſſe quàm amplificaſſe, & Illuſtri loco poſuiſſe merito reprehendant. Vt vt ſit, mihi perſuaſiſſimum eſt, ferè ſemper quam plurimos graues, & cordatos viros, qui nos antiquum illud elegantiſſimi Poëtæ ſequutos approbent.

rebus magnis ſatis eſſe voluiſſe illud certè dubitari non poteſt admirandum quiddam atque ſingulare eſſe fortitudinem, quæ mortem, & dolorem, aliaq. horribilia, & formidoloſa contemnit, magnoq. & inconcuſſo animo eſſe iubet, in proſpera, aduerſaq. fortuna conſtanter, & æquabiliter perferenda. Itaque cum ōmnes rectæ animi affectiones, virtutes appellentur, hæc tanquam omnium excellentiſſima id conſecuta eſt, vt virtus ſimpliciter à viro nominaretur: atque ob eam cauſam in omnibus rebus publicis bene conſtitutis, fortiſſimis viris, ouationes, ſupplicationes, triumphi, ſtatuæ, arcus, trophęa, annuæ laudationes, ſingularia denique omnia, & diuinis honoribus proxima ornamēta decreta ſunt qualia nunquam aut perrarò reliquis virtutibus legimus attributa. Quamobrē cum olim in Græcia duæ eſſent Reſpublicæ inter ſe ſimillimæ, optimiſq. legibus, & inſtitutis temperatæ Cretenſium, & Lacedæmoniorum, vtraque id præcipue ſpectabat, eoq. referebat omnia, vt ciues quàm fortiſſimi, ac bellicoſiſſimi euaderent: Ideoq. ſcripſit Plato, omnem morem Lacedæmoniorum inflammatum eſſe cupiditate vincendi, neque alio pertinebant conuiuia illa in publico, aut laborioſæ in Gymnaſijs, tum puerorum, tum virginum exercitationes, aut venationes, aut dolorum perpeſſiones quàm vt ijs in pace facilè ferendis aſſueſcerent,

quæbelli neceſſitas afferre ſolet. Sed audeo dicere ſi earum duarum gentium fortiſſimi omnes viri in vnum locũ conferãtur, vix cũ rebus ab HFNRICO geſtis eſſe comparãdos. Itaque quod interdum diſerti homines augendi atque amplificandi cauſa dicere ſolent, id ego poſſum hoc loco ſine mẽdacio dicere, & dies me, & vox, & latera deficient, ſi ab HENRICO geſta ſigillatim, & minutatim enumerare tentauero. Et ſanè quid attinet recenſere vobis ter collatis ſignis ab eo inimicos fuſos, fugatoſque? Centies, & quadragies pugnaſſe eum non ſine magno aliquando, & præſenti vitæ periculo? Tricies, & quinquies ingentes exercitus cum apparuiſſent, virtute militari magno cõtemptu depuliſſe? Trecentis vrbium, aut variorum locorum obſidionibus præfuiſſe, aut interfuiſſe, aliaq. innumerabilia, atque mirabilia præſtitiſſe, quorum laudes ijſdem regionibus quibus ſolis curſus continentur; adeò vt hoc vere dicere poſſimus HENRICI IIII. ſi cuiuſuis alius quorumcumq. temporum Regis fortitudinem, & ſcientiam militarem propriam, & peculiarem extitiſſe. Laudatur atque in Cœlum tollitur à veteribus omnibus Thebanus Epaminondas, non modo rei militaris ſciẽtia præſtantiſſimus, ſed etiam præclararum omnium artium cognitione inſtructiſſimus qui cum ad Mantineam fortiſſime pugnans lethale vulnus accepiſſet, v-

bi victoriam ſuorum eſſe intellexit, tum deni que iuſſit ſibi telum, quo transfoſſus erat, de corpore educi, æquiſſimo ſe animo mori dicẽs, quod Patriam Imperantem Lacedæmonijs reliquiſſet, quã acceperat ſeruientem. Sed HENRICVS non tantum Patriam agro Thebano mirum quantum auguſtiorem, & ampliorem, imperantem reliquit, verum etiam Regnum longe maximum, & opulentiſſimum pace vbiq. parta, compreſſis, atque eliſis fibris omniũ contentionum, ac diſſidiorum in ea felicitate collocauit, qua neſcio an maiorem expectare debeamus. Prudentia autem ipſius, quam Ariſtoteles vere affirmat Regum atq; Imperantiũ eſſe propriam, æquabilitas & animi moderatio in proſperis aduerſisq. rebus, animi magnitudo in omnibus caſibus, eadem animi quiete atque immobilitate perferendis, quas virtutes antiquiſſimi ſapientum, non vulgarium, aut quorumcunq. hominum ſed Heroum proprias eſſe voluerunt, à me prætermittentur, quia nec pro dignitate ſatis explicari poſſunt, & ſi orationem longius protraxero, videbor fortaſſe quibuſdam moleſtam, atque importunam in re parum neceſſaria prolixitatem quæſiuiſſe. De auctoritate verò HENRICI quid dicam? hic autem ne quis erret, cum de auctoritate loquor intelligi volo excellentem quandam, atque eminentem potentiam apud Principes, & apud popu-

los firma, & diuturna virtutis, experientiæ, & rerum præclare geſtarum opinione comparatam. Ea autem, quanta in hoc Maximo Rege fuerit hominum nemini magis, quam tibi, Beatiſsime Pater, compertum ac exploratum eſſe arbitror, vt merito ſcripſerint aliqui hiſtorici nobiles rerum experientia edocti, fuiſſe HENRICVM prouidētia quadam, & diſpenſatione Diuina electum, præſidium publicæ tranquillitatis, ornamentum Eccleſiæ Catholicæ arbitrium Principum Chriſtianorum, ipſaſque delicias orbis terrarū. Quò magis æquum eſt Chriſtianos omnes toto orbe diſperſos communi conſenſione, ac conſpiratione, deteſtabile illud atque abominandum parricidiū, nullóque cruciatus genere ſatis expiandum, à ſceleſtiſsimis hominibus commiſſum exſecrari, atque deuouere, qui nullas leges neque humanas, neque Diuinas reueriti auſi ſunt in Optimum Principem, tam magnis virtutibus ornatum, à Deo Opt. Max. vt tantū populum regeret conſtitutum damnatas illas, ac furiales manus iniicere. Ec-quæ vobis erat mens deſperatiſsimi ſiccarij? cum inuiolabile illud corpus immaniſsimè trucidabatis? quæ furiæ ex tenebricoſis illis Inferni antris in mentes veſtras immigrauerant, vt in communi totius regni lætitia tam horribilia, & vel ſolo auditu reformidanda auderetis? vt totam Rempubli-

cam Chriſtianam quæ tanti Regis ſalute,&incolumitate, magna ex parte nitebatur concuteretis? Qui culei, quæ rotæ, qui ignes, quæ ſaxa, ac robora ſatis eſſe poſſunt veſtris illis immaniſsimis facinoribus expiandis? Vere enim hoc poſſumus affirmare quo tempore perpetratum eſt atrox illud, & nefarium parricidium in procinctu fuiſſe Regem, vt cum ingenti exercitu in Germaniam traijceret, ob id maximè, vt publicam pacem, & tranquillitatem quam inter ſuos exteroſque ſemper ſtudioſè conſeruauerat, procuraret. Sed auocanda à nobis eſt tanti ſceleris atrocitas atque immanitas & acerbiſſimus dolor, conſtantia, & virtute ſuperandus. Tu verò, Beatiſſime Pater, quem natura ipſa ad honeſtatem, temperantiam, iuſtitiam ad magnitudinem, & excelſitatem animi, ad omnes denique maximas virtutes conformauit; Qui HENRICVM viuentē Paterna quadam beneuolentia ſemper dilexiſti, complectere eadem LVDOVICVM filium Chriſtianiſſimū Regem, qui etiam ſi in ea ætate eſt, quæ cum nondum confirmata, & corroborata ſit, plurimum experientia valere non poteſt, ea tamen eſt indole, ea forma Regia atque liberali, ijs oculis quolibet iaculo penetrabilioribus, ea maieſtate, ac ſerenitate frontis, ea denique partium totius corporis conuenientia, vt primogenitum tuum & S. Ludouici progenie m poſ-

ſis agnoſcere, nihil niſi eximium, niſi perfectū niſi excellens, Vniuerſæ Reipublicæ Christianę de ſe aliquando pollicentem. Et certè cariſſimū tibi eſſe Ludouicum non leuibus argumentis ſignificaſti, cum Franciſcum Cardinalem de Gioioſa virum ampliſſimum, honoratæ, magnificæque legationi præficiendum iudicaſti, vt tuo nomine Ludouicum in ſacro fonte ſuſciperet ſalutari aqua tingendum & baptizandum; quo facto oſtendiſti, quàm Paterna charitate Regum noſtrorum liberos proſequerere, quos te filiorum loco habere publicè conteſtatum eſſe voluiſti. Hoc vnum certiſſimum ac præſentiſſimum remedium ſupereſt comprimendorum nefariorum hominum, atque ſeditionū omnium extirpandarum: Aderit in partem Maria Regis mater Sereniſſima, eademque ſapientiſſima, & lectiſſima fæmina, quæ non patietur quenquam nouis rebus ſtudere, eaque pietate, qua meritò apud omnes in admiratione eſt, & liberos Regios in poteſtate habebit, & te ſummum Eccleſiæ Catholicæ parentem, vt par eſt, omni cultu, & veneratione proſequetur.